

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

---

Johannes Vorst Georgius Ludenius

## **De Legibus Diatriba**

Rostochii: Kilius, 1653

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730154793>

Druck Freier  Zugang



R u pho 1653  
Dok. Vomaw  
Hoy Liedenitz



Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de  
/rosdok/ppn730154793/phys\\_0002](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730154793/phys_0002)

DFG

ΣΥΝ ΘΕΩ.  
DE  
**LEGIBUS**  
**DIATRIBA,**

*QVÆ*  
In III. Acad. Rostochiensi Erudi-  
torum examini subjicietur

P RÆS I D E  
**M. JOH. VORSTIO,**  
ET  
R E S P O N D E N T E  
**GEORGIO LUDENIO,**  
Weddingstadensi Dithmarso,  
*Ad diem IX. Julij.*



ROSTOCHII,  
Typis NICOLAI KILH, Acad. Typogr.  
*anno M. DC. LIII.*



V I R O

*Nobilissimo, Amplissimo & Consultissimo,*

**Dn. JOHANNI BOYEN/ J.U.D.**

Præsidi borealis Dithmaria meritiſſimo,  
Mæcenatu & Promotori ſuo ſuſpiciondo;

V I R I S

*Admodum Reverendis, Clarissimis, &  
Excellētissimis,*

**Dn. PETRO LUDENIO, Ecclesiæ**

Weddingstadensis Pastori vigilantiſſimo;  
ut & borealis Dithmaria Præpoſito digniſſimo,  
Parenti ſuo veſterando;

**Dn. M. HENRICO GUNTHERO,**

Ecclesiæ Wellelburanæ Pastori vigilantiſſimo,  
Affini & Patrono pl. colendo;

**Dn. M. HENRICO FISCHERO,**

Ecclesiæ qvæ Londini eſt Symmyſta lauda-  
tiſſimo, Affini itidem & Fautori honorando,

*Primitias hæſce Academicas  
Dicat conſeratq.*

**GEORGIUS LUDENIUS,**

Wedd. Dithm.

בְּשָׁמַיִם



T commode & quiete inter se vivere possint homines, minime postremum, sed vel praecipuum est ab injuriis eos tutos præstari, quoad ejus fieri potest; ne scil. vel ipsa vita, vel corporis integritas, vel res ad commodam vitam utiles ac necessariae ipsis eripiantur. Satis vero intellectum & olim fuit, & hodie quoq; intelligitur, non posse homines, ut Græcus Poëta ait, ἀνθράκων οὐ βέλικαληλαγούσιεν: esse homines natura proclives ad injuriam aliis inferendam. Cogitatum igitur fuit, quomodo ab injuriis aliorum homines tuti præstari qvirent. Et animadversum, non posse id melius fieri, qvā si complures societatem ini- rent, & primo junctis viribus se defenderent contra hos qui in eandem societatem una non coissent; deinde vero, si certos constituerent magistratus qui cæteris jus dicerent, lites dirimerent, & injurios ac facinorosos pleberent. Ipsa vero magistratum jurisdictio vel præviis legibus & juxta leges, vel sine his administrata fuit. Sanè antiquissimis temporibus ipsa Principum, ac magistratum placita attendebantur, quodq; ipsis visum fuit, eo fuit & statum. Justinus initio historiæ: Principio rerum populus nullis legibus tenebatur. Arbitria Principum pro legibus erant. Josephus lib. II. cont. Apionem, ubi de antiquitate, νομοθέτες suæ gentis agit: μάρτιος ἀρχοντες τὰ τελήθη διώκεται, καὶ αεράγησι τῶν βασιλέων. Sed plerisq; tamen gentibus id semper curæ fuit, ut certas leges haberent, juxta quas vel agendum vel omitendum esset his qui inter cæteros vivere vellent. Nobis in natu- ram rei qvæ omnibus gentibus tam salutaris visa est, nunc inquirere li- ber, deq; eadem in chartam conjicere qvæ exercitii ἐμπνευτικ& & di- sputatori argumentum esse possint.

2. Lex sine dubio à legendō dicta est, ut à regendo Rex. Sed vox

A. 2

legere

*legere* μαλύσιμον est: & quandoq; quidem significat idem quod *delle-*  
gerē, alias vero significat *recitare* quod scriptum est. Dubium igitur esse  
potest, ad quamnam verbi *legere* significationem respectum fuerit, cum  
inde nomen *Lex* formaretur. Tullius, cuius autoritatem in talibus vix  
defugere licet, lib. primo de legg. ita: *Eamq; rem illi Græco putant nomine νόμον à suum cuicq; tribuendo appellatam: ego nostro à legendō. nam ut illi æquitatis, sic nos delectus vim in lege ponimus.* Porro ab ista Latinā voce  
hodierni Galli habent suam *loy*, quemadmodum ex Latino Rex fecerunt  
*roy*. Indidem & Anglicæ vocis *law* origo est: item Danicæ *lov*.

3. Græca vox, quæ Latinæ respondet, dicta sine dubio est, ut  
& Tullius judicat, τὸν νόμον. Sed & hoc Græcum verbum  
μαλύσιμον est. Inter alia significat quoq; *tribuere*. Atq; ad hunc signi-  
ficatum respectum fuisse ab ipsis quoq; Græcis, Tullio nos facile assen-  
timur. Plutarchi quoq; non alia mens fuit, ut ex lib. II. οὐρανοῖς intel-  
ligilicet, ubi hæc habet: οἱ νόμοι τῆς ἀρχῆς εἰς τὸ κοινὸν ἀρχῆς καὶ  
δυνάμεως ἐπώνυμοι γεγοναστ. Sed vocem non adeo antiquam esse  
putavit Fl. Josephus, quod in Homericis scriptis nullibi reperiatur: eoq;  
argumento demonstrare voluit, Græcos antiquissimis temporib; nullas  
leges habuisse. In lib. II. contra Apionem ita ille differit: *Lycurgus, &*  
*Solon, & Zaleucus Locrensis, & omnes qui apud Græcos mirabiles sunt, no-*  
*velli atq; recentes, quantum ad illum (Moysem) comparati, esse noscuntur.*  
Ἴσπος μηδ ἀντὶ τέκνου πάλαι εγγυώσκετο τῷ τοῖς Ελλησι. ηγή  
μάρτυς Ομηρος οὐδαμοῦ τῆς ποίησες ἀντῷ γένονται μεν. Ον  
Quando nec ipsum nomen olim notum fuit apud Græcos, cuius rei testis est  
Homerus, qui nusquam in poëmatiis suis istuc nomine ( νόμος ) mititur.  
Quod autem Josephus hinc colligere voluit, id nescio an satis sit cer-  
tum, antiquissimos Græcos nullis legibus fuisse usos. Quamvis enim vox  
νόμος in Homero non reperiatur, sunt tamen ἴστοριαμα vocabula  
Ἱεστοῦς & θερμις. Atq; horum primo leges Draconis appellatas fuisse,  
quæ ante leges Solonis Athenis obtinuerunt, Äelianus autor est lib. VIII.  
Var. hist. cap. X. Εκαλεύτη, inquit, (οἱ τὰ Δρακόντην νόμοι, quibus  
Athenienses tum desierunt uti, cum Solonis leges receperunt) θεσμοῖ.  
Andocides, vetus Orator, Oratione τοῖς τῶν μυστήριων: τέττας δὲ  
ἰστημελεῖσθαι τῆς πόλεως, ἵνα ἡνὶς οἱ νόμοι τελέσεν. τέλος δὲ ζεῦς τῆς  
Σόλη-

Σόλων  
νόμοις, καὶ τοῖς Δεκάνοις θεομοῖς. Ex quibus verbis min-  
nitis recte colligere videtur Stephanus, Andocidem inter νόμον & θεομόν  
aliquid discriminis statuisse. Ejusdem plane generis res fuerunt &  
εἰ Σόλων  
νόμοι & εἰ Δεκάνοις θεομοί, tales nam quas Latinileges  
appellant. Vis & significatio vocum, inquam, prorsus eadem est. Tan-  
tum usus nonnihil discrepavit, ut scil. Draconis leges θεομοί diceren-  
tur, Solonis vero dicerentur νόμοι.

4. Ceterum θεομός dicitur ἡρῷ πάθημι sive θέω pono, quem-  
admodum ἡρῷ πάθημι sive θέω dicitur θεομός, & à δέω θεομός.  
Dicitur, inquam, à ponendo, quod leges ponantur & constituantur. Athe-  
næus lib. XII. Θεοποιοφ., ubi de Demetrio Phalereo agit, & nomen  
θεομός habet, & ipsum à quo id derivatum est verbum: Ο τοις ἄλλοις  
πιθέμενος θεομόν Δημήτερος τὴς βίργης πάτερος, ἀνομοθετητος  
εαυτῷ τὴν βίον παρεσκενεῖται. Hinc & nomen cōpositum θεομοθετικό,  
quod τῷ θεομός æquipollit. Item θεομοθετης, θεομοθετός.

5. Cum etymo vocis θεομός optimè congruit etymon nostræ  
Germanicæ vocis, quæ legem appellamus. Dicimus quidem nos *Gesetz*  
à *setzen*: additâ initio syllabâge, quæ plurimorum nominum apud nos  
formativa est. Sed majores nostri plurimum etiam usi fuerunt nomine  
*Ee*: quod & in antiquis versionibus sacrarum literarum etiam  
nunc visitur. Plurima exempla allegat Martinus in Lex. Etymologi-  
cō. Ut ex Pf. CXIX. v. 18. *Opene mine Ogen, unde ick skal meriken de  
VVundere van diner Ee.* Testatur quoq; B. Menzerus in Exegesi Aug.  
Conf. se veterent versionem Germanicam vidisse quæ ita habeat,  
ohne die VVercke der Ee.

6. Apud Spartanos Lycurgus suis quas tulit legibus, nomen  
ἀντεῖχεν indidit. Quæ novâ appellatione memoriae suorum præcipue  
simul insigere voluit τῶν ἀντεῖχεν unam, μητρὸν τοι νόμοις εγγέγραφους  
non uti legibus scriptis. Est scilicet nomen istud à τῷ τε πέω dico deriva-  
tum. Cumq; eo quod ad etymon congruit appellatio quædam quæ u-  
tuantur nostri, puta Burssprake.

7. Hebræi usurpant vocem בְּרִית ad eam rem de quæ agere insti-  
tuimus, significandam. Quæ quidem vox à Radice בְּרִית est orta. Ratio-

appellationis autem ex Conjugatione Hiphil petenda est. Nam **רִצְעָנָה** inter alia significat docere, monere. Utuntur quoq; Hebraei binis vocabulis quæ unicum istud alterum exhaustant, nimirum **מִשְׁׁנָה** & **רַצְחָנָה** sive **רַצְקָה**. Illo designant fere jus naturale sive legem naturæ: hoc vero designant legem civilem.

8. Sed in naturam legis paulo penitus nunc introspiciamus. Qvod quidem non melius fieri potest, quam si definitionem legis constituiamus. Definitiones autem apud Autores videre licet varias. Pleriq; tales cudent definitiones, quibus & proprio dictas leges, & eas quæ **κατ' αναλογίαν** sic dicuntur, comprehendere possint. Thomas definita: *Lex nihil est aliud quam quædam rationis ordinatio ad bonum commune ab eo qui curam communitatis habet promulgata.* Hanc Thomæ reprehendit Gregorius de Valencia: nec prorsus immitterit. Ipse vero Gregorius sic definit: *Lex est rectum quoddam rationis practice decretum ab eo qui curam communitatis gerit sufficienter sanctum & constitutum, ut ex ejus vi debeat necessariò modus aliquis sive in re sive in actione propter commune bonum adhiberi.* Sed nec illa Gregorii placuit B. Hornejo. Qvod intelligi licet ex eâ definitione quam Vir Cl. ex suâ mente posuit: *Lex est decretum sive Dei sive ejus penes quem majestas est in Republicâ, vel naturæ ipsi impressum, vel sufficienter alias sanctum & constitutum juxta quod vivatur, ita ut vel simpliciter expedit & pium ac honestum est, vel expedit huic saltē vel illi Reip.* Cur vero neq; hæc pro definitione accipi possint, si quidem paulo **κατ' αναλογίαν** agendum sit, id paulo post apparebit.

9. Ut autem paulo **κατ' αναλογίαν** nos agamus, cogitandum est, in quo genere entium lex sit ponenda, & quidnam pro proximo ejus genere sit habendum. Qvod maximè propriæ lex dicitur, id ex vocibus constat, vel ex vocum signis, literis & syllabis. Fit sanè, ut quædam etiam mentis nostræ cogitationes vocentur *lex sive leges*: e. g. qvod mente nostrâ cogitamus, honestè esse vivendum, neminem esse läden-dum, Deum esse colendum, id lex appellari solet. Et Tullius quidem hoc proximum vel præcipue legis nomine appellandum censet. Ita enim ille in secundo de legibus: *Hanc igitur video sapientissimorum fuisse sententiam, lžgem neq; hominum ingenii excogitataam, neq; scitum aliquod esse*

esse populorum, sed eternum quidam quod universum mundum regeret, imperandi prohibendis sapientia. Ita principem legem illum, & ultimam mentem esse dicebant, omnia ratione aut cogentis aut vetantis Dei. ex qua illa lex quam dii humano generi dederunt, recte est laudata. est enim ratio mens sapientis, ad jubendum & ad deterendum idonea. In primo quoque de legibus idem Tullius adhuc disertius in eandem sententiam: *A lege ducentum est juris exordium, ea est enim naturae vis, ea mens ratioq; prudenter: ea juris atq; injuria regula.* Sed quoniam in populari ratione omnis nostra versatur oratio, populariter interdum loqui necesse erit, & appellare eam legem, quae scripto sancit quod vult, aut jubendo aut vetando, ut vulgus appellat.

10. Qvod hic de populari ratione loquendi differit Tullius, id *avaneatq; nobis videtur aneissemus.* Non id quidem inficias eo, leges conformari & exigidebere, quoad ejus fieri potest, ad istas de moribus cogitationes, quae naturae vi in mentibus nostris sese exseruntur: has ipsas tamen cogitationes magis propriæ leges appellari, nobis non liquet. Et videntur homines ante de legibus cogitasse, quam de illis suis cogitationibus cogitarint.

11. Est ubi ipse Tullius cogitationes istas a legibus manifestè separat. Ut in Partitionibus Oratorii: *Jus dividitur in duas partes primas, naturalis atq; legem: & utriusq; generis vis in divinum & humanum jus est distributa.* Et paucis interjectis: *Atq; hæc communia sunt naturæ & legis: sed propria legis & ea quæ scripta sunt, & ea quæ sine literis aut gentium jure, ac majorum more retinentur.* Vides quomodo Tullius naturam & legem discernat: & legis propria esse dicat quæ scripta sunt; non vero ad naturam pertinere. Per naturam autem sine dubio intelligit istas prædictas cogitationes de bonis moribus, quæ vi naturæ in nobis sese exseruntur.

12. Qvod nomine legis nomen insignitur, id sine dubio ex vocibus constat, vel ore prolatis, vel scriptis. Voces porro quæ ore profertur, vel unicus sonus sunt vel plures. Quæ vero sunt scriptæ, ex certis figuris constant: quas literas appellamus. Apparet igitur, legem esse compositum quid, nec per se in prædicamento quodam esse. Reduci tamen potest ad illud prædicamentum, in quo sunt ista entia simplicia ex quibus lex constat. Cum vero plura entia certâ ratione junguntur, solent composita illa certis quoque nominibus appellari. Si multi homines in unum coierint, appellatur illa hominum multitudo cœtus. Si multi homines unâ vivant, cum in finem, ut bellum, cum hoste gerant,

gerant, vocatur ea hominum multitudo exercitus. Ita quoq; si multæ  
voces significantes proferantur, ita quidem, ut certus ex illis sensus  
oriatur, vocari id soler *oratio*. Si item literæ certa ratione conjungan-  
tur, vocari id quoq; *oratio* solet. Sed solent & vocula ~~dialegmata~~  
addi. Et prius quidem dici solet *oratio vocalis*: posterius vero *ora-*  
*tio scripta*.

13. Qvoniam igitur lex quoq; est ordinata quædam vel vocum  
vel figurarum significantium compositio: eadem quoq; illa percom-  
mode *oratio* dici poterit. Qva in re ὁμολογίᾳ sine dubio habemus  
summum Philosophorum Aristotelem. Hic enim, ubi legis naturam  
exponere tentat, appellat eam λέξεν: tali scil. vocabulo quod prædi-  
ctæ Latinæ λογίαμον est. In lib. X. Eth. Nic cap. X. scribit, τὸν νόμον  
ἔνει λέξεν ἀπό την φρεγήσεως τοῦ νόμου. In Rhetoricā ad Alexan-  
drum definit ita: οὐδὲ ὁ νόμος ἐστιν, αἱς ἀνθλῶς ἐπεῖν, λόγοι  
ωρογράφοις τοῖς ὁμολογίαιν κοινὴν πόλεως, μηνύαν πᾶς δεῖ πράτ-  
τειν ἔργα.

14. In eodem libro tamen idem Philosophus scribit νόμος esse  
ὁμολογίαται κοινὰ πόλεως, ἀδιὰ γεχυμάτων οἷς τὰ νόμοια τετ-  
τά, πᾶς χρὴ ἔνορει πράττειν. Ipsum consensum civitatis, qui per  
literas definiat & præscribat quomodo oporteat singula agere, nunc  
dicit νόμον esse. Antea vero dicebat, illam orationem quæ juxta  
communem civitatis consensum definita sit, quæq; significet, quomo-  
do singula sint agenda, esse νόμον. Ipse consensus populi, & oratio  
quæ consensus iste exprimitur, differunt sane. Ille enim in mentibus  
est: hæc vero vocibus constat vel literis, estq; extra mentem.

15. Nobis non tam ipse populi consensus, ipsa populi voluntas,  
nomine legis appellari videtur, quæm oratio ista quæ voluntatis signum  
est. Leges XII. tabularum utiq; vocibus constabant, atq; oratio  
erant. Sic & οἱ τὰ Δεσμούς: itemq; οἱ τὰ Σόλωνοι νόμοι  
vocibus constabant, & λέξει erant. Spartanorum μῆτραι quoq;, λέξει  
utiq; erant, & vocibus constabant. Dixit & ipse Philosophus,  
τὸν νόμον esse λέξεν, ut jam ante relatum est. Quod vero idem ille  
etiam dixit, νόμος esse ipsa ὁμολογίαται τῆς πόλεως, id παχυλῶς  
ab

ab ipso dictum videtur. Cæterum huic proximo videri possit con-  
gruere qvod supra de Viris Clarissimis rētulimus, eos in definitione  
legis loco generis ponere decretum. Gregorius de Valentia ait, esse  
rectum rationis practicæ decretum. Sic & Cl. Hornejus, esse decretum sive  
Dei, sive ejus penes quem majestas est in Republicā. Sed fortasse per decre-  
tum hi intelligunt non ipsum illud qvod in mente est, non voluntatem  
ac placitum principis aut populi; sed illud qvod ejus signum est. Fit  
enim, ut vox decretum non tantum illud notet qvod in mente est, sed  
& signum ejus, orationem externam. Tā ψῶν ἀφέωθω. Tantum  
id monere adhuc velim, non posse legem naturæ, qvam vocant, & le-  
gem civilem unâ definitione comprehendendi; nisi si παχύτερον agere  
libeat. Lex naturæ est cogitatio mentis nostræ: lex civilis vero est  
oratio vel vocalis vel scripta. Ex qvo apparet, non ad easdem catego-  
rias referri posse legem naturæ & legem civilem. Qvæ vero non sunt  
in iisdem categoriis, eorum nec commune genus esse potest, & per  
consequens nec communis qvædam definitio.

16. Sed dices, utrumq; tam legem naturæ, qvam legem civilem,  
dici legem, atq; igitur videri commune genus utiq; habere. Confirmo  
tibi, non habere. Habent quidem duo ita commune nomen legis: sed  
non secundum eundem τῆς σοίας λόγον. Non novum est, duas res eo-  
dem vocabulo appellari, nec tamen eandem vocabuli notionem esse,  
prout utriq; tribuitur. Sed de appellatione legis naturæ, qvæ ejus fue-  
rit occasio, paulo post dicemus pluribus. Nunc id proseqvemur am-  
plius, qvod nomine legis præcipue ac κυριώς appellatur.

17. Apud Gellium lib. X. Noct. Att. cap. XX. Artejus Capito, qvī  
ipso Gellio judice publici privatiq; juris peritissimus fuit, qvid lex sit,  
his verbis definit: Lex est generale iussum populi aut plebis, rogante magistratu. Iste igitur Capito cum legem dixit iussum esse, nobis minimè  
repugnat. Nam & iussum nihil aliud qvam oratio est, qvam scil. quis ju-  
bet sive præcipit. Et fortasse iussum concinnius adhuc genus est, qvam oratio. In definitionibus oportet genera poni proxima. Jam vero  
iussum proprius genus legis videtur, qvam oratio. Varia utiq; est oratio.  
Alià enim oratione mandamus sive præcipimus: alià hortamur aut de-  
hortamur: alià rogamus & obtestamur: aliis deniq; orationibus facimus  
alia. Ergo una quasi species orationis sit ea qvā jubetur sive præcipitur.

B

Qvæ

**Q**væ qvidem species uno nomine *jussum, mandatum, præceptum* dicitur. Sciendum tamen, si *orationem* in definitione generis usurpare velis, id non esse prorsus *αντονία*; simodo subseqvatur aliquid, in quo generis proximi vis animadvertisatur. Sive igitur dicas, legem esse *jussum*, sive dicas, legem esse *orationem* quā jubetur sive *præcipitur*, perinde est.

**18.** Qvod in definitione Capitonis nunc seqvitur, id præclarum sane est. Dicit quidem, legem esse *jussum generale*. Potest oratio esse quā unus qvidam seorsim aliquid facere aut omittere jubeatur. Potest item esse oratio, quā totus populus jubeatur. Potest solus Naso juberi *patriā exulare*. Potest & sic præscribi: *Qvicung obsecnos libellos scripserit, patriā exulato*. Si igitur *jussum* spectet ad plurimos, & ad totam gentem, appellare id licet *jussum generale*. Si vero unus qvidam aliquid facere aut omittere jubeatur, vocetur id *speciale*. **Q**væritur autem, an *jussum* *speciale* quoq; lex sit dicendum. Attejus abnuerit, dicetque, legem esse *jussum generale*. **Q**vod quidem optimè congruit cum eo quod non semel scripsit Philosophus. In lib. II. Polit. c. VIII, ita habet: *καθόλε γὰς ἀναγνωρισταὶ φύσις (τὰς νόμους) οἱ δὲ πάχεις τῷ τῷ κατὰ ἐντολὴν εἰσι*. Item in lib. V. Eth. Nicom. cap. XIV: *οὐδὲ νόμος καθόλε πάσι*.

**19.** Sed qvōd Attejus dicebat, legem esse *jussum generale*, id videri possit parum certum esse. Ipse quidem Gellius sic objectat: *Et definitio si probè facta est, neq; de imperio C. Pompeji, neq; de redditu M. Ciceronis, neg, de cæde P. Clodii qvæstio, neq; alia id genus populi plebis-ve *jussa*, leges vocari possunt*. At constat, ea quoq; *jussa* qvæ ad unam modo personam pertinebant, leges esse appellatas. De Cn. Pompeji imperio *jussum*, utiq; *lex Manilia* dicebatur. Subdit deinde Gellius suum eā de re judicium, dicitq; *privilegia qvæq;* (qualia fuisse illa de imperio Cn. Pompeji, de redditu M. Ciceronis, de cæde P. Clodii *jussa*) *translato nomine Leges esse appellata*. Sed & de usu vocis, qvi apud Salustium observetur, differit his verbis: *salutius qvæq; proprietatum in verbis retinenterimus, consuetudini concessit, & Privilegiam qvod de Cn. Pompeji redditu ferebatur, Legem appellavit*. Verba ex secundæ eius historiâ hæc sunt: *Nam Syllam Cos. de redditu ejus legem ferentem, ex composito Tribunii plebis C. Herennius prohibuerat*. Ergo ipse quoq; Gellius satis intellexit, *jussa* generalia proprie leges dici: qvævero singulas modo personas

Sonat spectant, ea minus proprie & translato nomine sic dicta esse.

20. Id igitur adhuc recte se habet, quod Atteius dixit, *legem esse generale iussum*. Addit vero idem ille, esse generale iussum *populi aut plebis, rogante magistratu*. Quibus verbis Atteius respexit ad mores ac instituta sua civitatis. Apud Romanos solebat populus legem ferre, prævia rogatione magistratus. Sic & plebiscita a plebe, altera populi parte, proficiscicebantur, eodem rogante magistratu. De ipsa rogatione Gellius ita: *Totius hujus rei iuris, sive cum populus sive cum plebs rogatur, sive quod ad universos pertinet, caput ipsum & origo & quasi sons Rogatio est. Ita enim omnia vocabula censemur, continentur, rogationis principali genere & nomine. Nam nisi populus aut plebs rogetur, nullum plebis aut populi iussum fieri potest.*

21. Nos, si Atteji definitionem leviter modo immutemus, eique etiam nonnihil adjiciamus, habebimus talem, quæ rectissime se habet. Nimirum pro eo quod Atteius de populo Romano dixit, nos ponamus universale quipiam, quod populo Romano aliquà sit simile. Et esto igitur legis definitio talis: *Lex est iussum generale ejus, vel eorum qui summam potestatem & summum imperium in Republica habent, de rebus non in praesens modo faciendis vel omittendis, sed in longum tempus.*

22. Sed nunc subjiciendum illico, quid summa potestas sit; quid item summum imperium. Princípio igitur is dicitur potestatem habere aliquid faciendi, cui aliquid facere licet & competit. Deinde summam potestatem dicitur is habere, cui ita agere vel omittere licet, ut non opus habeat ad alterius nutum agere, ejusve jussa capessere. Ex quo facile nunc amplius intelligitur, quid illud sit, summam potestatem in politiâ quadam sive republicâ habere: nimirum si alicui liceat præscribere de omnibus his quibus fiat ut in republicâ commodè ac quiete vivi possit, nec opus habeat ad alterius nutum id facere.

23. In definitione additum quoque est de summo imperio. Neque enim putandum est, summam potestatem, ut quidem nos descripsimus eam, & summum imperium esse *imperium*. Potest fieri, & sape fit, ut qui summam potestatem habet, non tamen habeat summum imperium, hoc est, ut alicui competat in Rep. præscribere de his quæ ad salutem Reip. pertinent, nec tamen actu præscribat. Exempli causâ: si quis legitimus Rex indignis modis pellatur à subditis suis, non perit ipsi summa potestas sive jus, sed adimitur modo illi summum

imperium, qvod unā cum summā potestate antea habuerat: non tunc imperat & præscribit amplius, qvemadmodum antea, neq; sic ut antea, ipsi paretur.

24. Quid vero causæ, qvòd illud de summo imperio in definitio-  
ne apparere debeat? Annon lex qvoq; dici potest jussum generale ejus  
qui summam modo potestatem & jus habet, non vero simul ipsum  
summum imperium? Nobis non videtur. Cujus rei ratio hæc est,  
qvòd nec istiusmodi jussum facile datur. Sigvis solam summam po-  
testatem & jus habeat, de cætero vero à suis sit pulsus, & imperium ejus  
detrectent qui antea ipsi paruerant, non instituerit idem ille leges ferre,  
propterea qvod irrito conatu se illud facturum non ignorat; sed id  
ante omnia laborabit, ut qui antea paruerant, parere velint denuo, nec  
imperium ampliis detrectent. Ubi autem hoc obtinuit, ut se de-  
novo parituros profiteantur, tum deinde & alterius generis jussa edet  
& leges qvoq; promulgabit.

25. Addidimus & hoc in definitione, legem esse jussum de rebus  
non in præsens tantum faciendis & omittendis, sed in longum tem-  
pus. Hoc ipsis igitur legem separatum volumus à mandato detribu-  
to pendendo, & similibus. Si Princeps mandet, ut per omnes terras  
suas sibi tributum pendatur, qvo sumptus ad bellum necessarios facere  
possit, est sanè mandatum istiusmodi generale; non tamen legis no-  
mine id comprehendi didicimus.

26. Atq; ita naturam legis maximè propriè ita dictæ, qvam cla-  
rissimè quidem nunc potuimus, dedimus expositam. Liber nunc  
porro de his qvoq; differere qvæ legi propriè dictæ affinia sunt, & legis  
nomine itidem insigniri solent. Scilicet istæ de honestis ac turpibus  
~~enim~~ sive notitiæ, qvas in nobis ipsis per experientiam internam  
& per intellectus nostri reflexionem in seipsum animadvertisimus, dici  
vulgo solent *lex naturæ*. Cumq; huic appellationi adjicitur qvoq; de  
lege propriè dictæ, & paulo ante à nobis definitæ, tum illa ipsa pro-  
priè dictæ lex dici solet cum addito *lex civilis*. Atq; hinc qvædam  
legis distinctio oritur, in *legem naturæ* puta & *legem civilem*.

27. Circa hanc verò advertendum est, non esse eam divisionem  
generis in species, sed esse modo divisionem vocabuli homonymi.  
Unde autem id intelligi potest? Ex eo nimirum, qvod vocula *lex*  
non juxtagandem definitionem dicitur de lege naturæ & de lege civili.  
De

De hac quidem dicitur secundum eam definitionem quæ paulo ante exposita est. At de lege naturæ secundum eam definitionem dici non potest. Nam nec genus quod in definitione posuimus, nec differentia legi naturæ competere potest. Sed dicat quispiam, quid? annou lex naturæ rectissime jussum sive mandatum vocari potest? Confirmo tibi, non posse legem naturæ eo intellectu jussum sive mandatum dici, q[uo]d lex à nobis appellata est jussum. Jussum nobis in definitione nihil aliud est quam oratio jubens sive quæ jubetur. Quid vero oratio? Est utique compositum quid ex vocibus, vel ore prolati, vel scriptis. Lex naturæ autem ex vocibus vel ore prolati vel scriptis composita dici nequit. Qvare nec oratio est: & porro nec est jussum.

28. Quid igitur tandem est lex naturæ? & in quâ diuīgōtēi r̄w̄ ḥr̄tōy, ut Philosophus loqui amat, illa est numeranda? Est quidem nihil aliud quam istæ de faciendis aut omittendis cogitationes quæ vi naturæ in nobis oriri atq[ue] existere solent: cum e.g. cogito, suum cuique esse tribendum, neminem esse laendum, Deum esse colendum. Quid vero talis cogitatio? est utique actio sive operatio intellectus. Sed operationes mentis sunt variorum generum: & trium quidem sunt enim vel notiones sive conceptus, vel enunciationes, vel ratiocinationes. Ad quasnam igitur referemus prædictas cogitationes istas? Non possumus ad alias referre quam ad eas quæ enunciationes dicuntur. Hæc vero sunt hujusmodi mentis operationes, quæ ex conceptibus ita sunt compositæ, ut in iis sit vel verum vel falsum. Ergo & prædictæ cogitationes ita compositæ erunt ex conceptibus, ut in his aut verum aut falsum existat. Est autem in illis non nisi verum.

29. Consideremus easum cogitationum unam quandam: & eam quidem, cuius hæc verba signum sunt, Deus est colendus. Possumus utique taciti sedere & cogitare, Deum esse colendum. Cumquæ ita cogitamus, tum operamur mente nostrâ, & existit in mente nostrâ operatio sive actio quædam. Hæc vero mentis nostræ actio nec conceptus est, nec ratiocinatio, sed enunciatio. Est enim illa ex conceptibus sic composita, ut in eâ sit verum, vel quod idem est, ut ipsa sit vera. Et comprehendit quidem conceptum sive notionem Dei, & notionem colendi: qvarum illa subjectum dicitur à Logicis, hæc vero prædicatum.

B 3

30. Cum

30. Cum igitur constet, prædictas cogitationes esse actiones sive operationes mentis, facile nunc liquere potest, legem naturæ quoq; nihil aliud esse quam mentis actiones, atq; adeo ad categoriam actionis esse referandas. Porro vero & illud satis intelligi potest, legem naturæ & legem civilem, quam antea consideravimus, non habere commune genus, nec posse unam communi definitione, ut Cl. Hornejus volebat, comprehendendi: esse vocabulum lex homonymum, nec unam eademque notione dici & de lege naturæ, & de civili.

31. Qualis vero est homonymia ista, quam in vocabulo *lex* observamus? Utrum δικαιονόμη, an vero consilio? Dicimus eam esse consilio factam, atque, ut Philosophus alicubi loquitur, esse σύνεγγύης. Quæ vero occasio fuit, ut prædictæ istæ mentis nostræ cogitationes vocarentur *lex*? De lege propriæ dicta diximus supra, eam esse iussum sive mandatum. Jussum vero esse ipsam orationem sive vocalem, sive scriptam quam aliquid jubeatur sive precipitur. Quidammodum igitur legibus propriæ dictis aliquid facere aut omittere jubemur: ita quoq; prædictis istis cogitationibus nostris, quæ vi naturæ in nobis oriuntur atque existere solent, jubemur quasi. Cogitamus nos atq; in mente nostrâ affirmamus, suum cuiq; esse tribuendum, Deum esse colendum. Dum vero cogitamus atq; agnoscimus illud, æquæ nos illud obligant, & juxta istas nostras cogitationes æquæ oportet actiones nostras instaurare, ac si oratio scripta aut vocalis proponeretur, quam aliquid facere aut omittere juberemur. Æquæ Hebræos obligaverant antea cogitationes istæ quam de rebus faciendis & omnibus yî naturæ in illis nascebantur, atq; postea eos lex propriæ dicta quam tabulis lapideis inscripta erat, obligabat. Hæc igitur illa occasio fuit, quam obrem istæ de rebus honestis ac turpibus cogitationes, quam vi naturæ in nobis oriuntur, lex vocantur. Ut autem illæ à legibus propriæ dictis discernantur, additur vox διανοητικὴ naturæ, diciturq; *lex naturæ*.

32. Existere autem hujusmodi cogitationes quales dixi, in mentibus nostris, tum ipsa uniuscujusq; experientia interna satis testatur, tum sacri ac profani scriptores. S. Paulus graphicè eas depingit in secundo cap. ep. ad Romanos, v. 14. Οταν δὲ ἔστη, inquit, τὰ μὲν νόμου ἔχοντες, Φύσει τὰ τέ νόμος ποιεῖ τοι νόμον μὴ ἔχοντες ἐκυρώσει νόμον, εἰπεις ἐνδέκινυνται τὸ ἔργον τέ νόμος γέα ποιεῖ ταῦς καρδίαis αὐτῶν. Quid sacro

sacro hoc S. Pauli, atque adeo ipsius Dei pronunciato queat esse clarus? Primum dicit Paulus, gentes legem non habere. subaudi tu: *propriè dictam legem, qvæ oratio sit & vocibus constet.* Judæis lex promulgata erat ab ipso Deo: atque ea constabat vocibus. Gentibus vero hujusmodi lex, qvæ vocibus constaret, & propriè dicta lex esset, non erat data. Subjicit autem S. Paulus, gentes nihilominus fecisse qvæ sunt legis, hoc est, fecisse qvædam eorum qvæ lege istâ qvam ipse Deus Judæis promulgari curaverat, erant præcepta: atque adeo sibi ipsis fuisse legem, hoc est, naturali vi intellectus potuisse tamen hoc assequi, qvod illud facere oporteat, qvod lege propriè dictâ ac vocibus constante præscriptum erat. Addit vero & hoc S. Paulus, ipsis gentes demonstrare, legem inscriptam esse cordibus suis; siqvidem faciant illud quod lege propriè dictâ ac vocibus constante præceptum est. Qvodigitur dicit, *νόμον ἐπὶ ταῖς τῶν ἔθνων καρδιαῖς γεγένθει*, eo nihil aliud indigitare voluit, qvam illas ipsas quas nos paulo ante diximus, de rebus honestis ac turpibus cogitationes. Sunt istæ cogitationes in cordibus nostris, hoc est, in nostro intellectu. Et præstant illæ vicem legum propriè dictarum. Hinc factum, ut Apostolus dixerit, legem cordibus inscriptam esse.

33. Ex profanis scriptoribus egregie multis locis de legi naturæ commentatus est Tullius. In lib. V. de fin. vocat eam *prima invita menta naturæ, prima in animis, virtutum igniculos ac semina.* In libro I. de legibus autem sic dictam legem naturæ nomine legis *nugios* insigniendam docet. *Lex, inquit, est naturæ vis, eamens ratioq; prudentis: eajuris atq; injuriæ regula.* Sed qyoniam in populari ratione omnis nostra versatur oratio, populariter interdum loqui necesse erit, & appellare eam legem qvæ scripto sanctit, qvod vult, aut jubendo aut vetando, ut vulgus appellat. In libro II. autem ejusdem operis ita differentem inducit Mar cum: *Hanc igitur video sapientissimorum fuisse sententiam, legem neque hominum ingenii excoxitatam, neg, scitum aliquod esse populorum, sed æternum qvidam, qvod universum mundum regeret, imperandi prohiben dig sapientia.* Ita principem legem illam, & ultimam montem esse dicebant, omnia ratione aut cogentis aut vetantis Dei: ex qvâ illa lex, qvam Dii humano generi dederunt, recte est laudata. Est enim ratio mensq; sapientis ad jubendum & ad deterrendum idonea. Huc etiam pertinet qvod.

quod Philosophus in quinto Ethicorum Nic. cap. 10. de jure naturali scribit: Φυσικὸν δίκαιον, τὸ πανταχός τὴν ἀντὴν ἔχον δύναμιν, οὐκ & τῷ δοκεῖν οὐ μέν. Ius naturale est quod ubiq; eandem vim habet, & non, quia vel videtur vel non videtur. Item quod paucis interiectis sequitur: τὸ μὲν Φύσηι, αἰνίγματον οὐκ πανταχός τὴν ἀντὴν ἔχει δύναμιν, ωσπερ τὸ πολὺ οὐκ εὐδέλει καὶ τὸ πέρας οὐκέτι. Quod natura est, id est immobile & ubiq; eandem vim habet, quemadmodum ignis & hic & apud Persas urit. Egregie etiam Latinus Satyricus legis naturae originem & progressum descriptis in satyrā XV. ubi & imperium naturae vocat istam humanæ menti innatam vim.


Separathoc nos, inquit,

Agregate mutorum, atq; ideo venerabile soli  
Sortiti ingenium, capiendisq; artibus apti  
Sensum à cœlesti demissum traximus arce,  
Cujus egent prona & terram spectantia. Mundi  
Principio indulxit communis conditor illis  
Tantum animas; nobis animum quoq; Mutuus ut nos  
Affictus petere auxilium & praestare juberet.  
Dispersione trahere in populum, migrare retuso  
De nemore & proavis habitat as linquere silvas.  
Ædificare domos, laribus conjungere nostris  
Tectum aliud, tutos vicino limite somnos  
Ut collata daret fiducia, protegere armis  
Lapsum aut ingenti nutantem vulnera civen<sup>l</sup>.  
Communi dare signa tuba, defendier iisdem  
Turribus atq; una portarum clave teneri.

---

## COROLLARIA.

- I. Homo vel est rationalis, vel irrationalis;
- II. Corpus videre est impossibile.
- III. Neuter oculus ad videndum est necessarius.







Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de  
/rosdok/ppn730154793/phys\\_0020](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730154793/phys_0020)

DFG



Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de/  
rosdok/ppn730154793/phys\\_0021](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730154793/phys_0021)

DFG




Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de  
/rosdok/ppn730154793/phys\\_0022](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730154793/phys_0022)

DFG

Sacro hoc S. Pauli, atque adeo ipsius Dei proprius? Primum dicit Paulus, gentes legem non proprie dictam legem, quæ oratio sit & vocibus consuetudinibus erat ab ipso Deo: atque ea constabat in hujusmodi lex, quæ vocibus constaret, & præter data. Subjicit autem S. Paulus, gentes sunt legis, hoc est, fecisse quædam eorum quæ Deus Judæis promulgari curaverat, erant præ ipsis fuisse legem, hoc est, naturali vi intellexerat illud facere oporteat, quod legem conseruare, legem inscriptam esse cordibus illud quod legem propriæ dictam ac vocibus continebat. Quod igitur dicit, νόμον δὲ ταῦτα εθνῶν καὶ nihil aliud indigitare voluit, quam illas ipsas quædam, de rebus honestis ac turpibus cogitationes in cordibus nostris, hoc est, in nostro intellicere legum propriæ dictarum. Hinc factum est legem cordibus inscriptam esse.

33. Ex profanis scriptoribus egregie mulierum commentatus est Fullius. In lib. V. de fin. videntur naturæ, prima in animis, virtutum ignicula de legibus autem sic dictam legem naturæ cognoscendam docet. Lex, inquit, est naturæ vis, eajuris atq; injuriæ regula. Sed quoniam in populi versatur oratio, populariter interdum loqui necesse est legem quæ scripto sancit, quod vult, aut jubendo pellat. In libro II. autem ejusdem operis ita dicunt: Hanc igitur video sapientissimorum fuisse sicut hominum ingenii excoquitatum, neq; scitum aliquatenus quiddam, quod universum mundum regere debet sapientia. Ita principem legem illam & cebant, omnia ratione aut cogentis aut vetantis Deum humano generi dederunt, recte est laudata sapientis ad jubendum & ad deterrendum idoneitas.



Patch Reference numbers on UUT Serial No. T263

Image Engineering Scan Reference Chart TE263

the scale towards document

esse claudicandi tu: lex protibus velesset, non cisse quæm ipse adeo sibi nien hoc vocibus præfas gentes faciant potum est. Dñs, eo nte dixi: cogitatio stant illæ dixerit,

de naturæ a invita n libro I. piois insi orudentis mis nostra tellare eam vulgus ap licit Mar m neque m, sed a prohiben em esse di x, quam atio mensa pertinet qvod